

[23] *Quod patroni non debeant uendere nec alienare correda tarretarum.*

Precipimus quod patronus astringi debeat sacramento quod non uendet nec uendi faciet, nec alienabit nec alienari faciet modo aliquo uel ingenio illa correda que in uiatico pro sua tarreta habuerit, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, XXXVII.

[24]. *De sacramento quod patroni debent acipere marinariis.*

Inponimus cum patroni tarretarum marinarios pro c. 252* sua tarreta acceperint || et concordēs cum aliquo eorum fuerint, tale a quolibet accipant [sic] sacramentum:

St. Zen, XXXVIII.

Forma dicti sacramenti.

Juro quod bona fide et sine fraude tarretam, et correda tarrete et hauere quod fuerit in ipsa tarreta, cuius sum marinaris, custodiam et saluabo. Et in uiatico isto non furabor nec furari faciam ultra soldos quinque denariorum paruorum in ipsa tarreta. Si uero per totum istud uiaticum aliquem in ipsa tarreta ultra ualimentum quinque soldorum denariorum paruorum sciero defraudantem, ipsum quam cicus potero patrono uel patronis ac nauclerio, et ad minus quinque de naulizatis, si tot fuerint in ipsa tarreta, et si tot non fuerint illis qui aderunt, manifestare non tardabo. Et arma habebō in isto uiatico ut in statuto de marina || riis continetur. Et si ipsa tarreta, quod Deus aduertat, naufragium pateretur, ad recuperandum res et merces et tarretam et correda ipsius per dies quindecim permanebo, si mercatores aut patroni ipsius tarrete uel maior pars eorum uoluerit; de rebus quas recuperauero per centenarium tres habendo.

St. Zen, XL.